



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis  
Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev  
De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

VII. Quinta, Regibus arbitrium harum contentionum ab Ecclesia delatum  
videri. Itaque semper ad se illas revocarunt; ut Justinianus, & Carolus  
Magnus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15591**

tionum ferra semper reciprocetur, ut cum Tertulliano loquar; præcipue cùm Eugenius III. in Synodo Remensi habita anno M C X L V I I I . jussit ne propter laicorum prohibitionem Episcopi ecclesiastica dimittant justitiam exercere. Vnde colligi obiter potest probatio usus receptionis in Gallia, de prohibendis judicibus ecclesiasticis; quem Eugenius quidem non laudat, sed nec censuris repellendum docet; nec Principes nostri ab eo sibi temperandum existimarent, cùm in eo solo versetur efficax tuenda jurisdictionis secularis ratio. Non inficias eo quin jurisdictioni ecclesiastica liberum sit per Decretales Summorum Pontificum fines suos excommunicationibus vel interdictis tueri. unde crebris contentionebus & pessime feedata est Respublica Christiana. Illud contendo, regis constitutionibus præscriptum esse ordinem quem sequi oporteat ad dissidium avertenda; scilicet, ut dixi capite superiori, implorandum esse ab Episcopis Curiarum supremarum præsidium, si à judicibus inferioribus vis inferatur jurisdictioni ecclesiasticae; sin periculum immineat à Curis, vel si quid illæ in detrimentum episcopalis auctoritaris decreverint, adeundum esse Principe, qui Sacri Consilii ex Clericis & laicis compositi Decreto omnia temperabit, ut disertis verbis constitutum est ad postulationem Ecclesiarum Gallicanæ, duobus Edictis ea de re latiss. Eos mores induerant Episcopi nostri ducentis & amplius abhinc annis, ut libello causarum ecclesiasticarum avocationem à Curis peterent, non autem jura sua censuris sibi vindicarent; quemadmodum docuerunt Ioannes Galli & Guido Papæ.

VI. Quod æquissima ratione nititur: quia, ut obseruavit Opratus Afer, Ecclesia est in Imperio, id est, per Imperij provincias sparso, ex civibus constat, & sub patrocinio Regum degit; ideoque in his contentionebus dubiis, tuitiora & æquiora confilia amplectenda sunt Episcopis, quæ ad pacem cum Imperio retinendam vergant; ad exemplum Fabij, qui apud Silium Italicum cauta speculator mente futuri, Nec letus dubiis parvisque lacefere Martem. Præsertim cùm Principum conditio sit melior, ex regula juris civilis, canonici, & naturalis. In pari enim causa melior est conditio ejus qui possidet, inquit Iurisconsultus. In his autem controversiis, quis dubitare potest quin Princeps, ad quem omnia pertinent imperio, et si non dominio, possidere jus illud jurisdictionis controversie censeatur? Præterea cùm bellum suscipiendum non esse censuerit Augustus, nisi quando major est emolumenti spes quam metus damni, Episcopos ab his contentionebus ab-

stinere debere palam est quæ dissidium in Ecclesiam, contemptum auctoritatis ecclesiasticae, bonorum directionem, fidelium perniciem important, quorum salutem illis Dominus commisit. Adde alienum esse à prudentia ut viribus impar se contentioni bus implices quæ manifestum detrimentum sunt allatura. Hoc argumento in controversia de Remensis Archiepiscopi hominio, quod Rex Ludovicus V I. de sententia Curiae exegerat, Paschalem II. Ivo Carnotensis urgebat ut à Censuris, licet in Concilio Romano decretis in contumaces, abstineret in hac causa: quia, ut inquit ille, studendum est misericordie visceribus abundare ubi fas non est debitam fortitudinem exercere. Quare dispensatione illa utendum est ab Ivone hoc loco & ab antiquis patribus tantopere commendata, quæ in remittendo canonum rigore versatur, cùm necessitas id exigit, & occasio aut dissidij avertendi, aut pacis restituenda, ut pluribus dixi libro tertio.

VII. Non omittenda est elegans ratio, quæ duci potest ex officio & munere Principis: qui constitutus cùm sit à Deo Optimo Maximo ut Ecclesiam foveat, ejusque tranquillitatē propiciat, (cui muneri, sacramentum dato, sè deinde, stipulante Ecclesia, obstrinxit) quodam modo videtur arbitrium componendarum hujus generis contentionum in regno suscepisse. Vnde fluxit ut has controversias Reges semper ad cognitionem suam revocaverint. Cujus rei exemplum habemus in Novella Iustiniani. Etenim si de judicio criminali adversus Clericum instituto controversia emerget inter civilem judicem & Episcopum, ad nos, inquit Iustinianus, negotium tam ab Episcopo quam à judice referatur: ut nos hoc cognoscentes, que nobis vindicentur jubeamus. Quare augustus ille Princeps Carolus Magnus, ejusque filius Ludovicus, concordiam Episcoporum & Comitum legibus suis passim commendant, ut ad invicem adjutores sint in ministeriis suis peragendis; tum si quæ contentiones inter eos accidant, eas à Missis suis, id est, ab Episcopis & Proceribus quos delegabant in provincias, sopiri, aut ad se deferri præcipiant; ita ut apud illos, æquæ ac fit hodie apud nos, dissidia quæ ex jurisdictionum conflictu manant, Principis imperio componerentur.

VIII. Quin & Leo I V. ex dispensatione ecclesiastica Ludovico II. Imperatori arbitrium detulit, ut si quid à se incompetenter, id est, ultra fines jurisdictionis suæ, aetum esset, suo Missoriisque suorum iudicio emendarer. Retulit Gratianus fragmentum epistola Leonis: Nos si incompetenter aliquid egimus, & in subditis justæ legis tramitem non con-

<sup>4. Invalidior eis  
jurisdictio ecclesie  
stajica.</sup>

<sup>Referunt Iovoni lo-  
cas c. x i i. hujus  
libris.</sup>

<sup>5. Ha contentio  
arbitrio Regis  
aliam composta.</sup>

<sup>Nov. xxiii. cxxi.  
opus nunc v. lxx.  
Sext. 7. Terc. 10.  
viii. 2. Oct. 2.  
dilectus. 10. 10.  
lxx. 10. 10.  
naturæ. 10. 10.  
naturæ. 10. 10.  
10. 10. 10. 10.  
10. 10. 10. 10.</sup>

<sup>Excerpta Capitula.  
T. 1. Conc. Gall.</sup>

<sup>C. Non si invenimus,  
petebatur. 1. q. 7.</sup>